BEATI DOLORES

EPIGRAMMATIS EXPRESSI

AVCTORE

CANDIDO PHILALETHO

Presbytero Genuensi.



GENVÆ, M. DC. LIII.

Ex Typographia Benedicti Guaschi.

Superiorum permissu.

Imprimatur.

Ex auctoritate Illustris. Magistratus Inquisit. Status.

Laurentius Oliuerius Cancell.

Imprimatur.

Vicarius Generalis S. Offitij Genuæ.

ILL.MO ET EXCELL.MO D.

D. PAVLO FRANCISCO

D E A V R I A.

Reipublica Genuensis Senatori dignissimo

Auctor Opus suum D. D.



Plendor Paule togæ, virtute, ac sanguine clarus,
Cui rutilans aurum stirpis honore datur,
Hæc tibi si pretio non aurea metra dicamus,
Aurea sunt certè lumine clara suo:
Est quoque materies fuluo pretiosior auro;
Gemmea sunt toto nomina sparsa libro:
Verum age, sint plumbo, sint condita carmina stanno;
Nomine inaurari poscimus illa tuo.



ILL.MO ET EXCELL.MO D. D. MARCHIONI IOANNI FRANCISCO SERRÆ

In Castris Hispaniarum Regis Duci Inuictissimo.

INclyte flos Ligurum, prisci noua gloria Martis,
Hesperiæ columen, mente, manuque potens,
Magna gerens animo, paruum ne despice carmen;
sunt etiam magnis carmina digna viris:
Non semel armipotens cytharam pulsauit Achilles,
Immitisque tuba, mitior inde lyra:
Arma etiā Cæsar tractare, librosq; solebat;
Hostibus horrenda est Pallas, amica sophis:
Adde quod infestas acies, inimicaque castris
Castra, poetarum sunt celebrata metris:
Et tibi si mea Musa canat, maioraque disces
Prælia, Pellæo gesta nec ante duci;
Prælia quæ pariunt æternos certa triūphos;
Atque idem victus, victor & vnus ouat.



BEATI DOLORES

LIBER VNICVS

Ad Musam.





Lectrum Musa nouum digitis animare labora;
Hic opus intensas fortius esse fides:
Est animus laudare viros, celebrare puellas,
Dura quibus tenero in corpore vita fuit,
Et studium torquere acri pia membra dolore,
Perque graues pœnas ducere delicium:
Tensa, ac torta magis, simul est mage musica chorda;
Dulcius istorum dat quoque vita melos.

Iesus Christus.

I.

QVi primas acies primus quoque ducit Iesus,
Infans militiæ dat documenta nouæ;
Indicit vixdum natus fera prælia carni,
Arenti in palea membra tenella locans;
Non hyemem fugit horrentem, non frigora noctis,
Non stabulum, caua nec pauperis antra laris:
Aduocat huc inopem turbam, clarosque Dynastas,
Et docet, in Cœlum qua licet ire via:
Molle iter ad Manes, facilis descensus ad Orcum;
Ascensu facili nec petit astra Deus.

Maria Virgo Deipara.

II.

PRoxima facta Deo, primum sortiris honoris
Virgo locum, pariter dura ferendo prius:
Vt primum collo proles tibi cara pependit,
Obtinuit sæuus pectoris ima dolor;
Illius fera crux mentem tibi fixit, & artus;
Illum horas, at te plurima lustra tulit:
Non tibi par quisquam censetur sorte beata;
Sed neque par misera conditione venit.

S. Ioannes Baptista.

III.

ANtra puer, iunctusque feris, ferus, atq; tenellus,
Ingreditur, spreta, cum genitore, domo:
Nesciuit thalami, nesciuit gaudia mensæ,
Nesciuit toto quicquid in Orbe placet:
In speciem lapidum duratus membra, geluque,
Soleque, & horrenti veste, ciboque rudi:
Sic durum vitæ genus est mors dura sequuta;
Duro etenim messum concidit ense caput:
Ne mirare, viro si duratura per æuum
Gloria, si durans vita perennis erit.



S. Petrus Apostolus.

IV.

Retia qui primum pelago, dein fortia terris
Duxerat, & pisces traxerat, atque viros;
Extendens Cœlo, præda meliore potitus,
Orbis ibi claues, imperiumque tulit;
Non mensæ aßedit Romano principe digna,
Pontificum stratis discubuitue toris;
Sed madidis fertur ventrem satiaße lupinis;
Si satiare tamen, non onerare, fuit:
Dulcior esca seni lacrymarum defluus imber,
Qui matutini roris ad instar erat:
Nec satis est visum lauisse tepentibus vndis,
Sanguinis abstersit flumine triste scelus;
Cumque Poli reserare fores sibi claue liceret;
Credidit is clauis posse patere magis.



S. Pau-

S. Paulus Apostolus.

V.

LActe fluens Paulus, dulcis quoq; melle loquela,
  Scis qualem sicco traxerit ore cibum?
Non Scythiæ volucris, non turdus pauit obesus,
  Non lupus æquoreus, tructaue fluminea;
Sæpe satur panis, probris oneratus amaris,
  Impransus cœnam nescijt, atque torum:
Dira fames quoties ventrem vexauit inanem,
  Nec sæuam potuit fonte leuare sitim?
Vt pullos cristata parens alit, ipsa macescens,
  Sic alijs epulas, non parat ille sibi:
Ecce tibi capite abscißo dat flumina lactis,
  Et moriens viuis fontibus ora replet.



S. Iacobus Minor Apostolus.

VII.

MOre simul Domino similis Iacobus, & ore,
Et claro pariter sanguine frater erat:
Infensus Veneri, Bacchi quoque dona recusans,
Balneaque, attonsæ molle decusque comæ:
Affixit curuata solo genua ægra, fameque
Fessa, iacens prono corpore, stans animo:
Terrena dape contempta, conuiua Tonantis;
Status humo, Superis associatus erat:
Præcipitare senis potes, impie, corpus ab alto;
Penniger ast animus non cadit, astra petit.



S. Maria Magdalena.

V I I.

DElicijs aſſueta, vagis & amoribus olim,
Vnguentiſque madens ſemper, olenſque roſas,
Calcauit tenero poſtquam pede florea prata,
Et lepidas veneres tranſijt, atque iocos;
Saucia cæleſti, transfixaque Magdala telo,
Horruit antiquæ ſigna notata viæ;
Lætaque mutauit mæſtis, & dulcia amaris,
Vnguentum lacrymis, ſentibus atque roſas:
Maſſiliæ cautes, præruptaque ſaxa cauernæ
Squallida ſenſerunt membra rigere magis;
Senſerunt gemitus, ſuſpiria mixta querelis,
Dulcia traxit amor quæque, & amara dolor:
Aſpera Magdalidos te vita exterret? amares;
Aſperitas mollis quàm tibi viſa foret?



Ea-

Eadem.

VIII.

IGne cupidineo quæ quondam turpiter arsi,
Ardeo cælesti tota decora face:
Quæris, vter mihi sit gemini mage dulcis amoris?
Is, quo dulce frui, sit quoque dulce pati.

S. Ignatius Martyr.

IX.

TErtius Antiochi qui rexit Episcopus vrbem,
Quam lautas solitus poscere, & esse dapes?
Quando frui dabitur, fertur dixisse, leonum
Rictibus, atque artus dente premente meos?
Dulcior ille mihi quam morsibus ipse cruentis:
Christiadum ò virtus mira, fidemque super!
Sint capus, turdus, perdix, lepus, esca profanis;
Nobis esca, fremens, carniuorusque leo.



Idem.

X.

HOrrisonis gaudens rugitibus ille leonum;
Nomen ab igne ferens, cœlico amore flagrās;
Non metuit rabidis lacerari morsibus artus,
Et mandi carnes, ossaque comminui:
Neruos, atque cutem, nihil vltra læditis, inquit;
Quæ mihi sunt odio, sunt in amore feris.

Idem.

XI.

FRangite, clamabat feruens Ignatius, ossa;
Mandite dilecta membra, piæque feræ:
Momento exiguo mercabor tempora longa;
Tantillus dolor est, gaudia quanta parat!



S. Thecla Virgo, & Martyr.

X I I.

FVgit inexpertas thalami, ſibi iamque paratas
Thecla faces, ſponſum fugit, vt agna lupum:
Quæſitura Deum, prope neſcijt ora virorum,
Horruit aſpectum corporis ipſa ſui:
Obijce ſiue feros tauros, auidoſue leones,
Qui pia diſcerpant membrula, quique vorent;
Inueniet mites tauros, placidoſque leones;
Immittas colubros, nulla venena ferent:
Scilicet edomita Veneris feritate triumphans,
Nil mirum, potuit ſi cicurare feras.



Susanna Danielis 13.

XIII.

HIc habeas Susanna locum, generosa virago,
Quis te dura nimis sustinuisse neget?
Mollitiem fugis, ac teneros horrescis amores;
Vincula perrumpis dura adamante magis:
Dulcia nil prosunt, nil verba minantia lethum,
Peiorem letho dedecorisque notam.
Quis te laude prior, quis mentis robore maior,
Quam neque blanda Venus, mors neq; saua domat?

Eadem. XIV.

QVis mihi crystalli miracula nota retractat,
Qua discit pluuius non fluitare liquor?
Fœmina visa mihi crystallo clarior omni,
Quæ non fœmineo lubrica more fluit:
Scit niuibus seruare fidem fornacis ab æstu;
In medijs alget, conglaciatque focis:
Duruit vnde, rogo, sic fæmina mollis? amoris
Mirum! diuini traxit ab igne gelu.

Eadem. XV.

VIncit odore rosas, candoreque lilia vincit
Susanna, omen habens nominis ipsa sui:
Per flammas Citherea tuas niue purior exit;
Et durata gelu, lucida gemma nitet:
Et durata gelu, non crudo à frigore brumæ,
Sed, mirum! riget & candet ab igne magis.

Eadem. XVI.

MIratur Susanna, senes quod turpiter ardent,
Surgit & e medio flamma pudenda gelu:
Intempestiuo non sentit ab igne calores;
Erubuit neque sic improba canities;
Sed contemptus amor nequiores arsit in iras;
Grando furit lapidum, tingere iussa niues:
At Deus *æthereo lapides suspendit ab axe;*
Et duplici illæsus candor ab igne fuit:
Miretur lapidum quis tempestate fugata:
Fœmina miranda est, gemmeus vsque lapis.



Ea-

Eadem . XVII.

INnocuo candore nitens, rubicunda pudore,
Flos, Susanna, simul candicat, atque rubet:
Lilia juncta rosis profert tibi nominis omen;
O flores, quorum secula vincit odor!

S. Stephanus Protomartyr.

XVIII.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt.

TOrrentis lapides dulces quis credere posset,
Immites Stephani qui petiere caput,
Et cælo effracto tenerum sparsere cerebrum,
Vnde cruore sacro pasta rubescit humus?
Sed cælum capitis rupere, simulque supernè
Empyreum patuit; quid mage dulce, rogo?
Vulnera persensit Martyr crudelia; sensit
Gaudia Cælicolûm; quid mage dulce, rogo?
Corruit in mortem, dolor est; simul atque Tonantis
Iuit in amplexus; quid mage dulce, rogo?

S. Laurentius Martyr.

XIX.

IGnibus exustum latus, & crudeliter assum
Aspice, & hoc rabiem pasce Tyranne tuam;
Laurus in igne crepat, teque increpat impie prædo,
Cuius non mulcet sanguinis vnda sitim:
Gaudet ouans, acuitque tuam Laurentius iram;
Et crescunt illi præmia, pœna tibi:
Extinctis iam non ardet carbonibus ignis;
Fortius ardet adhuc pectoris ira tui;
Ardet, & ardebit, flammisque fatebitur Orci,
Laurentis quod atrox pœna beata fuit.



Idem.

XX.

Ad Tyrannum.

VBeribus tigridis nutrite, ac felle colubræ,
Quis te agit in rabiem sæue Tyranne furor?
Non satis est rigido Laurentis membra flagello,
Pectineque, ac diris dilacerasse modis?
Insuper amburi subiecto præcipis igne,
Et crate assari torrida vtrumque latus?
Non est humanæ virtutis ferre nefandum
Supplicium, cælo bella, Deoque moues;
Sed Deus ecce suo victori mitigat ignes,
Atque tuum flamma cor nequiore coquit:
Ille suo sibi in igne placet, fit clarus, ouatque;
Te tuus excruciat, denigrat, atque vorat.



S. Clemens Ancyranus.

XXI.

CLementem Ancyræ passum crudelia, lustra
Bis tria, victorem bis tria lustra canam:
Ferreus ille magis ferro, gladiosque retorsit,
Fregit & opposito corpore sæpe rotas:
Implacidas placidusque feras compescere morsum
Edocuit, sacros lambere & ore pedes:
Non semel extinxit crepitantes sanguine flammas,
Deque nigro rediit clarior ipse rogo:
Iactatus pelago vinctus, mersusque profundo,
Mite fretum, dulces sensit, & hausit aquas:
Verberibus cæsus, pendens & ab arbore nudus,
Exutus carnes, osseus vsque fuit:
Carnificum domuit vires fortesque lacertos
Viribus, exanguis, non nisi Christe tuis:
Vnus ab incæpto, victus quoque destitit alter,
Et supra decimum, quisque Tyrannus abit:
Sic prætergressum terræ, maris, aeris, ignis,
Supplicia, in Cœlo *gaudia sola manent.*

S. Cæcilia Virgo, & Martyr.

XXII.

NObile Romulidũ germen, pulcherrima forma,
Pulchrior at quantò flore pudicitiæ?
Cæcilia à teneris annis deuota Tonanti,
Auersa nimium mente iugata viro;
Aligero præbente manum, te sponse fratremque,
Iunxit inoffensa virginitate Deo;
Qua prece, quà lacrymis, duro quà strata cubili,
Candida quà spinis membra rubere docens:
Coralium in terris collo quod viua negauit,
A ferro in Cœlum iam moritura tulit.



S. Agnes Virgo & Martyr.

XXIII.

O Quam te memorē nimium laudabilis Agnes,
Celsior humana conditione procul!
Nil mortale sonas, gemmas contemnis & aurum,
Delicias thalami mortis ad instar habes;
Omne quod arridet terris, & pectora mulcet,
Læsa nare velut stercora fœda fugis:
Non ab Erythræo lapides tibi littore lectos,
Non quos auriferi gurgitis vnda lauit;
A Cœlo missos, stellis radiantibus aptos,
Collo circundas, irradiantque manum:
Non tibi Luna satis, non Sol formosus abundè;
Pulchrior est sponsus, quē tua vota petunt:
Alma virago, tibi mortalis vita quod offert,
Non animum satiat; ni moreris, moreris.



S. Ca-

S. Catharina Virgo & Martyr.

XXIV.

EXpers coniugij virgo Catharina propbani,
Cælestis thalami dum cupit igne frui;
Se totam Sophiæ dicat, atque arcana reuoluit,
Quæ scripsit Dio pneumate mota manus:
Hic cibus ambrosia melior, præ nectare potus
Iste sapit, tales esurit illa dapes:
Regia mens seruire nequit, carnemque rebellem
Edomat, & puro tota fit apta Deo:
Quid certare Sophi, quid dissertare Platones
Venistis? vinci Numine plena potest?



San-

Sanctorum Martyrum exercitus.

XXV.

INnumeros breuiore metro mihi Musa recense,
Quos necis horrendum vexit ad astra genus;
Ignibus exustos, fumanti torre crematos,
Iussaque nocturnas membra nutrire faces;
Verberibus cæsos, confossos mille sagittis,
Vastatos gladio, forcipe, pectine, acu;
Commiseranda viros spectacula, plena doloris,
Abrasa capitis, corporis atque cute;
Expositos vrsis, laceratos dente leonum,
Pascentes rabiem tigridis, atque lupæ,
Et Nero sæue tuam, Domiti, Dioclisque, Decique,
Quotque coronatas secla tulere feras;
Sæuijt inque viros quorum furor, inque puellas,
Quas pudor atque animi vis locat ante viros:
Horum virtutes & fortia facta, Maronis
Exsuperant plectrum; proijce Musa tuum.



Aegyp-

Ægyptiorum Monacorum & Anachoretarum agmina.

XXVI.

Niliaca portenta plaga, delubra prophane
Execranda olim relligionis erant;
Inde canis caput, inde bouis sacratur in ara;
Simia, mus pariter, sus quoque vota capit.
Talia non igitur gens vecors Numina templis
Inuexisse, Polis inseruisse pudet?
Non feret Aegyptus dudum tamen inclyta probrum;
Delebit Christo dedita turpe nefas:
Iamque migrare feras templis, ac fœda Deorum
Pulsa sacris, Orco monstra sepulta vides:
Et nemora, & saltus, speluncaque cæca leonum,
Angelicis passim concelebrata choris:
Exportes thalamique viros hinc, inde puellas
Innuptas, vitam ducere cælicolûm:
Sic vbi templa feris fuerant iam culta, ferarum
Lustra domos posthac incoluere Dij.

Eorundem vitæ asperitas.

XXVII.

PEr iuga, per saltus, latebrosa per antra ferarũ,
Lustra per, innumeros visere perge viros,
Vna quibus mens, ac studium perferre labores,
Dura pati, semet vincere, sæpe mori:
Terga cruenta fero rursum lacerare flagello,
Inde super spinas sternere, siue niues;
Stare solo fixos, noctes vigilare, diesque;
Sumere vix modicum Sole cadente cibum;
Dura catenarum suspendere pondera collo,
Et lateri, ac pedibus ferrea vincla dare:
Pectora tunsa manu, turgentia lumina fletu,
Membra fame, ac pœnis exsaturare nouis:
Esse pares tanto vix credis posse dolori?
Gaudia non cernis qualia mente ferunt;
Nec pariter tormenta vides, quæ corde volutant.
Proh quantò minor est corporis iste dolor!



S. Paulus

S. Paulus Eremicola.

XXVIII.

INter aues Paulus deserta vallis opacæ,
Dulcia dat superis cantica mixta choris;
Agrestes interque feras, beluasque cruentas,
Humanos mores vertit in Angelicos:
Felix vrbe procul, patrij non cultor agelli,
Exercens animi lata sed arua sui:
Quid metet à longo, rogitas, duroque labore?
Surget ab interitu vita, labore quies.

Idem.

XXIX.

VIuit in extrema Paulus, viridique senecta;
Marmoreo quanuis membra rigore terat;
Viribus integris tamen, atque ita fortis, vt illum
Nec quando occubuit, decubuisse ferant:
Palmatam vestem permultos detulit annos,
Iure, etenim palmam pondera nulla premunt.

S. Antonius.

XXX.

IGnifer Antoni deserta per auia tendens,
Quid petis, agrestes cogis abire feras?
Si non ipse feras, degentes more ferarum
Quæris, & inde paras talibus ire comes?
En tibi Paulus adest, qui non connubia poscit,
Solamen vitæ nec socialis amat;
Perdius ille preces, & pernox fundere gaudet:
Ergo sit hoc, inquis, viuere more feræ?
Vel magis agminibus iunctum cælestibus, vltra
Mortales curas exeruisse caput?
Sic reor; at pennas mihi tales fata negarunt;
Icare tu media progrediare via.




Idem.

Idem:

XXXI.

ILle Paratonij cultor mirabilis antri,
Sæpe triumphauit qui patienter agens;
Prælia confecit iunctis ad pectora palmis;
Viribus attritis fortior vsque fuit;
Innumeros strauit, semet dum verberat, hostes;
Se sibi subijciens, extulit astra super;
Tam carus superis, tam formidabilis Orco,
Vix vt terrigenam, pene Deumque putes:
Denique tantus erat, tantis virtutibus auctus,
Vt verè solum dixeris, & Monacum.



S. Simeon Stylita.

XXXII.

HAec quam stare vides, & nubila celsa petentē,
Marmore de Pario secta columna fuit:
Et licet à rigidi montis processerit aluo,
Prædurumque sibi senserit esse genus;
Non tamen impositum sibi credidit illa Simonem
Supra duritiem surgere posse suam;
Erectumque super vestigia corpore toto,
Quinquaginta annos non posuisse latus;
Et transire dies, transire redireque noctes,
Et variare suas sidera sæpe vices;
Nec gelidas hyemes, lentos timuisse nec æstus,
Nec pluuias, pluuia tela nec acta manu:
Fregissent marmor, structamq; vel ære columnam;
Non tamen illa tui pectoris æra Simon.

Idem. XXXIII.

MIraris quia stat plures immobilis annos,
Nec sedet, aut sternit corpora fessa Simon?
Fixerat ille solo vestigia, fixerat ille
Lumina non vnquam deijcienda Polo.

S. Aegi-

S. Aegidius.

XXXIV.

AEgidio regale genus fuit, alta propago,
Sed mage regalis mens, generosa magis;
Non illum decus imperij, non diuitis arcæ
Copia, non fragilis traxit ad ima decor;
Omnia calcauit pede, quæ leue vulgus adorat,
Et quæ turba frequens, crassaque, magna putat:
Nec modò contempsit quæcunque superflua vitæ,
Sed quibus arcta licet vita carere nequit:
Antra petens non fert Cereris, non munera Bacchi;
Sed neque, quam sitiens hauriat, ambit aquam;
Quem fert mente Deum, pro cunctis sufficit vnus,
Inde sibi potum sperat, & inde cibum:
Cerua, iubente Deo, nutrit illum lacte perenni;
Si non cerua daret lac, petra mella daret.



S. Hilarion.

XXXV.


Hillarion modico contentus pane, saginat
Cœlesti mentem nocte, dieque cibo;
Assidua prece, perque genas manantibus vndis,
Et quam dat Sophiæ mensa parata dape:
Fortior hinc, longè Stygios exterminat hostes,
Maior et Alcide, plurima monstra fugat:
Vltima mors illi visa incussisse timorem;
Euaginato cæsa sed ense cadit:
Est corpus vagina, animus quasi fulgidus ensis;
Corpore direptus pernecat iste necem.



S. Gulielmus Aquitaniæ Dux.

XXXVI.

DVx Gulielme fugis regales concitus aulas,
Lustraque solivagus, concaua & antra petis;
Hac colis armatus, caput altum casside, pectus
Lorica, & reliquum corporis ære tegis:
In quos arma paras? violentos vngue leones,
Seu rabidos vrsos, Armeniasue tigres?
Est fera quam timeo, quam sit genus omne ferarum
Sæuior, humano quamlibet ore placens;
Insidias caro molitur blandissima fortes,
Et mihi mille neces, tormina mille parat:
Deprimit hanc ferrum, grauat æs, ne surgere possit;
Dum iacet illa, leuis spiritus astra petit:
Tu quoque ponderibus tantum preme sedulus hostem;
Si non ipse premis, te premit, ac perimit.



S. Alexius.

XXXVII.

DVra nimis feruens sibi prælia mouit Alexis,
Et violenta nimis vulnera corde tulit;
Ardentes tædas niuibus restinguere gaudet;
Aestuat, hibernum fitque repente gelu;
Oscula delibat, sed non tamen oscula figit;
A Veneris gremio saluus ab igne fugit:
Si natura potest sic semet vincere, maior
Corpore mens, expers corporis esse potest.

Idem XXXVIII.

GLoria Romuleæ clarissima gentis Alexis
Candida vix nuptæ viderat ora nouæ,
Iunxerat atque manum, velocior auolat Euro,
Et procul a patria barbara regna petit:
Post redit in patriam, carosque, domumque reuisit,
Vt vagus in tectis aduena, & erro suis:
A genitrice petit, genitrix quod porrigit ægrè,
Alloquium patris, patre negante, rogat;
Sæpe videt siccis oculis lacrymosa dolentis
Coniugis ora, silet corde premente notas:
Impatiens amor est, inquis; patientior isto
Esse nequit, sibi se qui negat, atque suos.

Iudith

Iudith Castissima:

XXXIX.

Quæ forma præstante Deas æquauit Iudith,
Et Latias vicit, Cecropiasque nurus,
Non rutilas digitis gemmas aptauit, & aurum,
Ornauit colli coralioue niues;
Non vestem Tyrio tinctam superinduit ostro;
Non maris, ac terræ vertice rexit opes;
Sed viduo contenta toro, lare clausa modesto,
Tam non cara procis, quam neque visa fuit;
Membra fame domuit, spolioque rigente cameli;
Sedula fœmineum sollicitauit opus,
Ancillis comitata suis, dux ipsa laboris;
Sæpius in castas fusa, humilesque preces:
Talibus auxilijs, hisce armis tecta, Tyrannum
Assyriumque necat sola, aciesque fugat:
Hoc verum decus est formæ, non qualeLacœna,
Hostica qua flagrans Orbis in arma ruit;
Digna magis quæ culpari, quam pulchra vocari;
Hæc laudum meruit pulchrior Iliadas:
Sed formosam Helenem cæcus contauit Homerus;
Pulchra oculo Iudith, qui benè cuncta videt.

S. Paula Romana.

XL.

SCipiadum ſoboles, Teucrorum antiqua propago,
Atque Agamemnonio ſanguine progenita,
Regales contempſit opes, faſtuſque ſuperbos
Calcauit, toto maior & Orbe fuit,
Exhibuit poſtquam minimis ſe Paula minorem,
Viſa etiam quouis paupere pauperior;
Se quoque facta minor, duro conſumpta labore,
Et macie, ac lacrymis, pene fit vmbra ſui;
Vmbra ſui, ſed imago Dei, picturaque Chriſti;
Hoc mage, quam patrijs claret imaginibus.



S.

S. Eustochium Virgo.

XLI.

Nobilis Eustochium, mauult seu Iulia dici,
Vt viuens, matri sit quoque iuncta metro.
Innocuam mentem, puros deuouerat artus
Casta Deo, fugiens ipsa vel ora virûm;
Suspirate proci, dotalia poscite regna,
Dona maritalis splendidiora tori:
Pro gemma rutilante, nigro velamine frontem
Occulit, tauricomum contrahit atque iubar;
Sacco membra tegit, vultus pallore decoros
Inficit, & labris rubra coralla negat:
Exhaurit funditque manu prædiuitis arcæ
Thesauros, omnis pascitur inde miser:
His plenæ, largæque manus splendescite gemmis;
Talibus haud Indus, nec Polus ipse micat.



S. Libania Virgo.

XLII.

Cypridis impuræ Libania prodijt vrbe,
Illa tamen Cypridi ſemper iniqua fuit;
Vixdum pubeſcens inimicæ mænia terræ
Liquit, & ò, dixit, ter Citherea vale:
Nutricem ſociam, tutorem cauta pudoris
Aſciuit comitem, velaque paſſa dedit:
Ad Ligurum fines, Liguri rate concita venit,
Ac tenuit portus Ianua culta tuos:
Hic ſpelæa ſubit reſono impendentia ponto,
Inde ferox tota ſe ferttate ferit:
Icta flagris, lacerat per acuto pectine membra;
Sanguine virgineo iam natat omne ſolum:
Lilia purpureum fundunt candentia rorem;
Et ferro punctum molle rubeſcit ebur:
Non tulit iſta Deus ſpectacula, iuſſa volauit
In Cælum pænis fulta columba ſuis.



S.

Pelagia Ex peccatrice Sancta.

XLIII.

A Pelago mihi nomen erat, pelagoque profundo
Mersa, Dioneis non satiabar aquis;
Lugeo nunc scelus antiquum, pelagoque dolorum
Obruta sum, lacrymis ut lauer ipsa meis:
Vita isthæc pelagus; fallebar dulcia quærens;
Rectius à pelago semper amara bibam,

S. Maria Aegyptiaca.

XLIV.

QVæ primū veneres, placitosque Cupidinis ignes
Senserat, ac Pharia sparserat vrbe faces,
Per saltus vaga, per syluas fugit ora virorum,
Aßociata, magis par, similisque feris;
Nuda rigens, protecta comis, cute Sole perusta,
Atque gelu, viridi pasta, cubansque solo:
Non ceßat plorare, replens vlulatibus auras,
Antraque; cur, inquis, sic dolet atque gemit?
A templi foribus semel est iam paßa repulsam;
Anxia, an a Cælo reijcienda, gemit.

S.

S. Martinus Episcopus.

XLV.

Obiicit horrisoni Martinus Martis alumnus
Millibus armatis fortis inerme latus;
Nec mortem metuit, neque certa pericula mortis;
Sed nec amara illi, duraque vita grauis:
Quod sæuum timuiſse genus, quæ monstra putares,
Cui non horrori mors, neque vita fuit?
Dic moriatur, amat; dic viuat, vita in amore est;
Ergo nihil voluit, noluit imò nihil.

S.Gregorius Thaumaturgus.

XLVI.

Qui parere lacus, fluuios montesque coegi,
Sæpius atque meo Dæmonas imperio,
Ante gulam domui rabidam, ventremque subegi,
Dein simulacra tuli Bacche, Venusque tua:
Deiicitur facilis cælata in marmore Cypris
Mortua, at in membris non ita viua tuis.

S. Nicolaus Myrensis.

XLVII.

Nicoleos Myrensis habet mirabile siquid
Orbis habet, patitur fortia, magna gerit;
Vixdum natus erat, ieiunia prædicat infans,
Vbera non stringit tenta, gulamque premit:
Alcides geminos in cunis enecat angues;
Nescio quis coluber, quam gula, peior erat:
Noctibus haud oculos somno concedit inerti;
Plus est hoc, Argo quam rapuisse boues;
Ne raperent alij niueo cum flore puellas,
Tutamen miseris, præsidiumque fuit:
His largas dispensat opes, aliasque maritans,
Vix ponit viduo frigida membra toro:
Exulat à patria, terraque, marique laborans;
Pauperiem sequitur, quam malè quisque fugit;
Sæpe fatigauit Superos prece; nemo fatiget
Hunc votis, subitò namque rogatus adest.



S. Athanasius.

XLVIII.

Virtutis comes assiduus, laudator & ingens,
Vel mage virtutis forma, & imago loquens,
Magnus hic est laudem superans Athanasius omnem;
Non Cælo, ac terris notior alter erat;
Sed terris profugus, Cæloque extorris ab ipso,
Ante diem mortis conditur in tumulo;
Et benè, nam Mundo vixit quasi mortuus esset,
Vitaque mors illi iugis amara fuit:
Ieiunæ fauces, durus torus, aspera vestis;
Nocte, dieque preces continuare labor:
Pro verâ sanctaque Fide certamina ferre,
Solumque innumeris opposuisse latus;
Pro cultu Verbi non interuertere verbum,
Pro iota exiguo mille subire neces:
Verius hic nobis dicendus cælifer Atlas,
Qui validis humeris pondera tanta tulit:
Non hunc astra ferent, dorso qui sustulit astra?
Aut deerit, cui non defuit ille, Polus?

S. Gregorius Magnus.

XL.

ALter in occiduis Præsul Sanctissimus oris,
Orbem qui rexit viribus ipse suis,
Viribus infirmis, si neruos ossaque spectes,
Si mentem, talis non fuit ante gigas;
Is mihi semper eris Gregori ter maxime, sacrum
Cui meritò cingit trina corona caput:
Non alter tibi par, mores si dogmate formas,
Nec par tutanda relligione fuit:
Instruis Occasum, sanctis quoque legibus Ortum;
Atque pati Reges mitia frena doces:
Imponis sed dura tibi, ventrique gulæque;
Et carnem rigida sub ditione premis:
Tranquillus curas inter, pacatus & arma;
Lætior in pænis, inque dolore canens;
Mitior iratis, in prima sede modestus:
Præclarum imperium, sic regere, atque regi!



S. Ambrosius.

I.

Romulidum genus Ambrosius virtutis auitæ
  Argumenta dedit maxima pene puer,
Aequabat grauitate senes; dein fortior annis,
  Zelo ardens, nulli non metuendus erat:
Quos non is fasces, quæ non diademata vidit
  Inclinata sibi, deposuisse minas?
Legifer ipse prior leges seruauit, & æquum,
  Et pro morte fuit criminis esse reum:
Vt scopulus riget in medijs immobilis vndis,
  Sic is seruanda pro pietate fuit.
Ambrosius comedit? vix panis olusque paratur;
  Ambrosiam comedis, cum legis Ambrosium.



S. Augustinus.

LI.

TV quoque dura probas, molles expertus amores,
  Aureli, vernum dum tibi tempus erat:
Serò sapisse dein piguit, sed serius istud
  Quam celeres pennas post tua terga dedit?
Anteuolas alios, mendacia gaudia spernens,
  Tam citò diuinus viscera torret amor!
Clauduntur penitis incendia tanta medullis,
  Quanta cadunt oculis flumina mœsta tuis:
Quantaque manarunt toto exspatiantia mundo,
  Orta sinu, & docta missa fluenta manu:
Quàm tibi dulce fuit vita piguisse prioris?
  Nam dulces lacrymas sensus amarus habet:
Dulcius at quantò, cum fas gaudere supernis
  Delicijs, vita posteriore frui?
Multò equidem melius sic pœnituisse putarim,
  Quam quod pœniteat, non habuisse prius.



S. Gregorius Nazianzenus.

LII.

Virgineis sociate choris, niueique pudoris
Egregias laudes dulcius ore canens,
Te Gregori patrium delectat ab vrbe remotum
Rus, turbas abigens, concilians que Deum:
At non delicias ruris sectaris amœnas,
Non florem, ac fructum luxuriantis agri;
Sed spelæa colis, pendentia rupibus altis,
Antraque syluestris concaua more feræ:
Non focus, aut frigus pellit, vel præparat escas;
Nec mollis lectus sternitur, at palea:
Nudipes incedis, vestis simul horrida corpus
Asperat, a lacrymis fit tibi molle solum.
Eloquij manasse stupes hinc flumina tanta?
Montibus a duris larga fluenta cadunt.



S. Basilius.

LIII.

DA quoque Basilium syluis, & montibus offer,
Sponte, libensque suos hic ageret ille dies;
Ac nisi Cappadocum populos docturus, & vrbem
Cæsaris, haud carum linqueret ille nemus:
Non vitam tamen vrbanam traduxit in vrbem,
Syluestrem aut vnquam reppulit ore cibum;
Longa laboratæ suadent ieiunia chartæ,
Suadet & aspectus, fortior eloquio:
Non carnem sapit aut piscem, quod mensa ministrat;
Sed sapit Angelicum, quod tibi docta manus.
Vix hominem credo, viuentem in corpore cernens;
Angelus ille mihi, ni moreretur, erat.



S. Hieronymus.

L I V.

ILle Leoninis plusquam rugitibus atrox,
Voce, simul calamo, dogmata praua fugans,
Dalmata, sacrato venerandus nomine, Doctor,
Cuius in horrendo conditur ore fauus;
Cultor erat nemorum quondam, sociusque ferarum,
Impastum ventrem, viscera sicca ferens;
Conditas modico sale coctas manderet herbas,
Credebat lautis se saturaße cibis;
Hausta quæ puro salit vnda è fonte, putabat,
Massica quod superent, atque Falerna minus:
Et gelidas tamen inter aquas, & oluscula pastus,
Torreri queritur se tuo ab igne venus.
Ac nisi Tartareum clamare minaciter ignem
Sentiret, nimium dulcis hic ignis erat:
Sed trepida versans supremum mente tribunal,
Ne reus abscedat, se facit ipse reum.



S.

S. Ioannes Chrysostomus.

L V.

QVI lingua simul, ac vita ditauerat Orbem,
Nobilibus factis aurea verba ligans,
Turpiter exilio per vim mulctatus iniquo,
Carnifices inter ferro oneratus obit:
Impie liuor edax, bona compensare paratus
Tanta malis, te nec verba, nec acta domant.

Idem.

L VI.

CAelestis Sophiæ sociatus iure magistris,
Aurum cui sacris, mel fuit inque labris,
Vix quinquagenos Chrysostomus attigit annos,
Iamque immaturam sensit adesse necem:
Eloquij largum bibimus, miramur & amnem,
Mors dulcem nobis abstulit Oceanum.

Idem moriturus induit se veste candida LVII.

AVrea verba tonans, dans ignea fulmina Cælo,
Mens etenim Cælum pura Ioannis erat;
Deijcit elatas turres, nimiumqee superbas,
Et capita, auratum quæ diadema ferunt :
Hinc iras Regum, Reginarumque furores,
Pontificum prauam sensit & inuidiam :
Exulagens, diramque famem, durosque labores
Pertulit, ac duro milite cinctus obit :
Ille tamen moriens candenti in veste triamphat,
Et nigram mortis non putat esse diem.

S. Hilarius.

LVIII.

ET tibi non Hilari carmen mea Musa dicabit,
Cuius & Orbis adhuc haurit ab ore melos?
Delicias interque tori, mensæque dapalis
Lautitias, siccus, frigidus atque manes :
Inde throno euectus, mira vbertate profundis
Eloquij fluuios, Gallia tota bibit :
Quin etiam doctæ metuit tua fulmina linguæ,
Et caput imperij, Roma secunda tremit :
Aeternum geniti per te stat gloria Verbi;
Quid mirum, æternat si tua verba Deus?

S. Leo Magnus.

LIX.

MAgnus in vrbe Leo cathedra ſublimis ab alta
Orbis ſuppoſiti frena verenda regit:
Non par, aut ſimilis facundæ gloria linguæ;
Non ſtylus a calamo nobiliore fluit:
Addita mellitæ maieſtas regia ſuadæ
Dura tyrannorum flectere corda valet:
Vt graditur leo magnanimus grauitate loquendi;
Incedit morum ſic grauitate leo.



S.Fulgentius Episcopus Ruspensis

L X.

QVI sexagenos vixit Fulgentius annos ;
Quinque super, nostros egerat ille dies
Sed quantum virtute prait ? non nobilis esca
Sed rudis ingenui corporis esca fuit ;
Vix lentem, duramque fabam molliuit oliuo ;
Vixque superfuso frigida tincta mero :
Non tunica exutus laxauit membra quieti ,
Non corpus tepidis debile maluit aquis :
Sopito properata quies parcissima semper
Tempora, longa dabat continuata preci :
Noctes, atque dies sapienter scripta legendo,
Aut noua dictando, doctior vsque fuit :
Imposuitque animo durissima frena volucri ,
Et statuit legem sensibus, arcta iubens :
Flagitium cauit quasi lethum, perpete fletu
Se purgans, monitis sollicitansque suos :
Et moriturus adhuc timet hic ? veniamque precatur ?
Cui non iste metus concutit ossa metu ?



S.

S. Bernardus.

LXI.

F Lore nitens roseo Bernardus, & ore decorus,
Insidias Veneris sæpe, dolosque fugit:
Sed laqueos metuens, viscumque tenaciter alis
Hærentem, volat ad lustra habitata feris;
Hic ventrem docet arentem ieiunia ferre,
Peruigilare oculos, clausa nec ora loqui:
Humanis procul a curis diuina profari,
Et versare animo quæ super astra labor:
Sic mentem excoluit, carnem domuitque rebellem,
Vt quasi mens totus, corporis vmbra foret.


Idem LXII.

M Ellea Bernardus cupido dat pabula Mundo,
Faucibus, & stomacho præbet amara suo:
Pascitur ille cibo, veluti medicamine tristi;
Nec gelido properat pellere fonte sitim;
Sicca licet longo sint ora, & anhela labore,
Ille sitimque sitit, se satiatque fame:
Genua leuat vix ægra solo, pallentia membra
Verberat, insolitis excruciatque modis:
Deiectos oculos fert, nil mortale tuentes;
In se mille oculos vertit, & ora virûm:
Hausit amara quidem, sed amaris mella parantur;
Gustauit prior hæc mente, dedique manu.

S. Thomas Aquinas.

LXIII.

ANgelici viden ora Patris? viden ora Magiſtri,
Qui Sophiæ pelagus condidit omne ſinu?
Sed tamen in partes ita diuidit ille profundum,
Vt pede vix loto quiſque vadare queat:
Miraris faciles tam vaſti gurgitis vndas?
Et paros latices dulcius ore bibis?
Tam nitido niueæ mentis de fonte fluebant,
Vt ſe non carnem ſenſerit eſſe caro.



S. Bonauentura.

LXIV.

SI Bonauenturæ præconia dicere laudum
Me sat posse putem, mente carere puta:
Pauperiem non ille pati, sed pectore toto
Complecti, sponsæ iungere seque nouæ
Visus, & algentes artus non igne fouere
Sed gaudere, pigro dirigisse gelu:
At non pigra manus, non mens ignaua rigebat;
Mens flagrat igne sacro, datque fluenta manus;
Tam noua doctrinæ, tam larga fluenta profundæ,
Vt similis Thomæ, dissimilisque fluat:
Audijt ille Sophos, perlegit multa, sed hausit
De cruce pendentis plurima ab ore Dei:
Sic docet, atque mouet, sic te facit ille scientem,
Vt tibi, quod sapiens sis, videare nihil.



S. Benedictus

LXV.

VRbe procul, notisque procul Benedictus in antro
Algenti noctes transigit atque dies;
Nobilis ille quidem, longaque ab origine clarus;
Luce sed actorum condecorauit auos:
Moribus ornatus canis in flore iuuentæ,
Mollibus in membris, flore pudicitiæ;
Sed sine fronte Venus, Veneris quoque filius ignes
Immittunt niuibus corporis, atque loci:
Is Veneri lectum sentes parat inter acutos,
Et iubet à spinis sanguinis ire rosas:
Cur Citherea fugis? thalamū tibi purpura vestit;
Purpura sed genio non placitura tuo:
Post spinas, aptat manibus, pedibusque catenas,
Atque suum duris legibus arctat iter;
Qua prece, qua lacrymis, vigili qua mente laborans,
Multiplici scalam tollit ad astra cruce;
Hac prior ascendit, sociosque ascendere iussit;
Penniger a pœnis fit modò quisque suis:
Non iter in Cælum iam Pelion Ossaque præbent;
Dant attrita magis pellis, & ossa viam.

S. Bruno.

LXVI.

CAucaseas inter cautes, Rhiphæaque saxa,
Iugis vbi gelido frigore sæuit hyems;
Exercet se Bruno, suis stipatus alumnis,
Vincit & algentes pectoris igne niues:
Peruigilat longas erecto corpore noctes,
Sidereis iunctus voce, animoque choris:
Clauduntur semper, neque sacra silentia frangunt,
Si non in laudes Numinis ora patent:
Angelus est, inquis, Monacus, vel bestia; si non
Angelus iste tibi, bestia es ipse mihi.



S.

S. Dominicus.

LXVII.

QVi totus Domini, nomen trahit inde colendum,
Dux acies ſacras ad noua bella vocans;
Hæreſeon contra peſtes, viroſaque monſtra,
Nunc pugnat calamo, nunc mage voce necat:
Cælicus iſte canis, mundumque incendere natus,
Flammiuomo ſemper ventilat ore faces:
Ardet amans, meſſes coquit, & dat pabula terris,
Eſuriens, ſitiens ipſe, feruſque ſibi:
Tota domus Chriſti ſocijs ſonat alta moloſſis;
Seruatum rabidos ridet ouile lupos:
Paſtores vigilant, ſed ſi vigilare recuſent;
Vocales nequeunt conticuiſſe canes.



S.

SS. Franciſus & Clara.


LXVIII.

ASſiſij geminum, Franciſcus, Claraque, lumen,
Queis Phæbi, *ac Phæbes cedit in Orbe iubar,*
In terris poſiti terras ſuperaſſe probantur,
Et cum Cælicolis continuaſſe dies:
Corpus vtrique fuit, non vt nutriatur opimis,
Mollibus aßuetum, dulcibus & ſaturum;
Sed mage dura pati, perferre moleſta iubetur,
Ac veluti ſapidum poſcere amara cibum:
Pro ſomno fuit alta quies, tranquillaque mentis,
Pro dape, cæleſti fallere rore famem:
Quam Chriſti Franciſcus amans? eſt Chriſtus in illo
Alter Franciſcus, Chriſtus is alter erat:
Clara fit omnipotens, dum defert Omnipotentem;
Sola vel aſpectu barbara caſtra fugat:
Quam diues, rogo te, quam felix pauper vterque,
Cui Deus inque manu ſic fuit, in que ſinu.

S. Franciscus Paulanus.

LXIX.

GRāde decus Paulæ, Calabris, Gallisque refulgens,
Franciscus durum sponte peregit iter:
Ponere frena gulæ, ventri dare pauca voraci
Lex fuit, & vili pellere lente famem:
Iuxta illum tuti lepores, ceruique cubabant;
Vbera lactenti bucula tuta dabat:
Queis fugitiua volant amplis patrimonia tectis,
Turdi, perdices absque fuere metu:
Ille ferebatur tantò leuioribus alis,
Quantò crassa minus pondera ventre tulit.



SS. Albertus, & Andreas Carmelitæ.

LXX.

Laus & fama recens Carmeli *claret vbique*
Albertus, pura candidiorque niue;
Cui *socium formosa parem* Florentia *iunxit*
Andream, cuius fronte tiara micat:
Heliam rediisse putes virtute potentem,
Aequatum gestis teque Elisee nouis:
Sic tenuem victum, ieiunia duraque patrum;
Mirari in sancta posteritate potes:
Iuraque naturæ mutari, cedere morbos,
Imperio solui fœdera stata necis:
Talibus ergo viris, tantis quoque laudibus aucta,
Gloria Carmeli *cana virescit adhuc.*



S. Ignatius Loyola.
LXXI.

ASperdit Ogniades hirsuto tegmine corpus,
Atque fame macerat, discruciatque siti:
Antra, colit deserta petit, noctesque diesque
Stat vigil, intorto verbere membra domat:
Postea docturus gentes, vt moribus vrbes
Excoleret, cultu se meliore tegit:
Horrida deponit foris indumenta, fatiget
Vt mentem vtilior, frangat & ossa labor:
Vel conuicturus populis, ne pungat acuto
Cortice, se spoliat, mollis echinus & est.

Idem. LXXII.

MIles eram, sum miles adhuc sine militis armis;
Militiam cœpi, cum simul arma dedi.
Abieci vestes, & opes, securus, & arma,
Quo mage sum nudus me magis arma tegunt:
Nec tantum veste exutus, spoliatus & armis;
Exuo si memet me, mage victor ero
Me sine me quis bellantem iam cauerit hostis?
Me sine me quisnam vincere iam poterit?

Idem.

LXXII.

Miles eram, ſum miles adhuc ſine militis armis;
Lingua, preces, calamus, crux, labor, arma (mihi.

Beatus Caietanus.

LXXIII.

Claruit æthereis quoque Caietanus in armis,
Auctor militiæ, ſignifer atque nouæ;
Cui non præſtat opem prompta, validaque cohorte,
Quà prece, quà verbo, ſollicitaque manu;
Sic operum diues, ſic paupertatis amator,
Vt donans alijs nil ſibi poſſideat:
Quin etiam cum ſit præſto, non ante rogatus,
Eſuriens nummum non rogat, aut Cererem:
At ſi non rogat eſuriens, quo veſcitur? inquis;
Qui donat, recipit; nec rogat iſte, iubet.



S. Franciſcus Xauerius.

LXXIV.

QValis ab Eois Titan citus exilit oris,
Et volucres ſupero verſat in orbe rotas;
Talis ab occiduis terris contendit in ortum
Xauier, ætherei Pneumatis igne calens:
Non mora, non ſocij retinent, dulceſue propinqui;
Nec viſit patrios poſt duo luſtra lares:
Plus vltra forti conſtantior Hercule tranſit;
Aequora, & ignotos non timet ille Notos:
Extremum Garamanta petit, prœteruolat Indum,
Et te fuſce Iapon, te quoque Sina videt:
Sulphureos montes, eructanteſque fauillas,
Quaque vorat ſolitos terra vorare viros:
Pectore progreditur per aperta pericula firmo,
Siue fremente ſalo, ſiue tremente ſolo:
Viuit aqua, viuit modica contentus oryza;
Et nihilo, ſi non viueret ille Deo.



S. Antonius Patauinus.

LXXV.

SVrgit ab Hesperijs Soli contrarius oris,
Effundens clarum non minus ore iubar,
Et totum latè radijs Antonius Orbem
Doctinæ, atque operum luce micante replet:
Errorum tenebras, animi, noua dogmata, pestes,
Diuina morbos corporis arte fugat:
Non labor inuictum pectus, non frangit egestas,
Non malesuada fames, non violenta sitis:
Crudelem minitare necem, tormentaque dira;
Non dat terga pauens, obuius illa petit:
Instar solis eferat viuens, postquam occidit, ardent
Non tot nocte faces, mira quot ille patrat.



B. Iordanes Dominicanæ familiæ Secundus Generalis Magister.

LXXVI.

IOrdanes fluuius sacratis nobilis vndis,
Pluribus vnde datur gentibus esse pias;
Iordanem virtute refert, ac nomine clarum,
Flumina doctrinæ qui spatiosa dedit:
Ac patulum dignis peragrauit gressibus Orbem,
Cum regeret celebres relligione viros:
Plurima perpessus, magna egit, miraque dixit,
Insani perijt fluctibus inde maris:
O vtinam Iordane fugam didicisset ab amne,
Olim qui refluas æquore torsit aquas.



S.

S. Carolus in Monte Verallo Ad Christi tumulum Ægrotans breui vitam cum morte commutat.

LXXVII.

PVrpura quem vestit, quem sacra tiara coronat,
Carolus in spinis sentit olere rosas;
Plus gaudet palea, quam lecto Cræsus eburno,
Atque leui pluma molle fouente latus;
Non illi tua cœna placet genialis, Apici,
Sed iucundus aquæ potus, & esca rudis:
Excelsi montes, vernantia saxa Veralli,
Christi vbi multimoda fingitur arte dolor,
Vos tristes gemitus, suspiriaq; ægra trahentem
Audistis noctes, crebrius, atq; dies:
Hic prostratus humi longa prece pulsat Olympum,
Compatitur Domino, commoriturque suo:
Hic natalitiam diui phœnicis ad vrnam,
A tumulo doctus viuere, lætus obit.



Beatus Aloysius Gonzaga.

LXXVIII.

QVæ pietas, quæ te violentia cogit amoris
In tua tam sæuas vertere membra manus,
Et lacerare fero toties Gonzaga flagello?
Dum mihi non parco, parcere posco Deum:
Quale tuum crimen, poscis quod parcere Numen?
Sicubi culpa fuit, quam leuis illa fuit?
In cruce langue Amor, meus & cruciatur Iesus;
Si non excrucior, tu leue crimen ais?

B. Franciscus Borgia LXXIX.

TV quoq; Dux populis primum dominatus Iberis,
Postea proijciens sceptra, crucemque ferens,
Gressibus Herculeis Christum per dura secutis
Borgia Franciscis adnumerande veni:
Venter obesus erat, siccas ita paupere victu,
Vt quæ vix reliqua est contegat ossa cutis:
Incedis pedes, & saltus, montesque pererras,
Palliolo pluuijs, ludibriumque Notis:
Sanguinolenta geris rigido sub verbere terga,
Toxica amara velut saccara dente teris.
Si quid hic Orbis habet durum, tibi molle videtur;
Si quid vile thronis celsius ipse putas
Quid Mundum pulsu se vertere posse vel vno
Ille Syracusius dixerat ante senex?
Te magis hoc patrasse reor, dum tollis & ima,
Et simul alta premis, dextra sinistra facis.

S. Clara Virgo, & Virginum mater LXXX.

STella recens Vmbris affulget, nomine Clara,
Clara atauis, forma, moribus, imperio:
Sed quibus imperitaße putas? sibi; nobile regnum
Corporis, atque animi frena tenere sui.
Vt non dira fames auri, non cæca libido,
Inque malum præceps cogat, agatque furor:
Talis Clara suæ moderatrix alma iuuentæ,
Altior humanis sensibus vsque fuit;
Non venus, aut vinum, non illi gloria fallax
Cor rapuit, nullus sollicitauit amor
Præter Christe tuum, cuius sic ignibus arsit,
Degeret vt sibimet mortua, viua tibi:
Innumeris ductrix pariter, materque puellis,
Quas alit exempli nunc quoque lacte sui:
Ieiunent, vigilent, crucient sua membra sequaces;
Semper erit merito Clara, & honore prior.



S. Teresia Virgo.

LXXXI.

AEgra valens, iucũda dolens, vaga libera clausa,
Fœmina præcedens mente, manuque viris;
Otia semper amans, operosa negotia curans;
Sola manens, acies ducit Amazonias:
Pœnarum studio flagrans, & amore dolorum,
Impatiens vitæ quærit, auetque necem:
Pasta fame, potata siti, se verbere mulcet;
Strata super spinas quas putat esse rosas:
Intra se collecta, super se rapta, fit extra
Corpus, mole grauis, vt sine mole leuis:
Quænam isthæc? rogo te, num de mortalibus vna?
Teresia, ex nobis vna, sed vna fuit.



S. Marta Virgo.

LXXXII.

ILla Deo quondam carnis sub nube latenti
Quæ dignum instruxit non semel hospitium;
Marta, procellosi post sæua pericula ponti,
Massiliæ stabilem fixit in vrbe gradum:
Hic niueo comitata choro se carcere claudit,
Ducit & illæsa virginitate dies:
Fonte sitim sedat, malè coctis vescitur herbis,
Sopit in algenti frigida membra solo:
Non hanc, Christe tibi mensam, stratumque parabat;
Vix licet aut mensa, vel fruerere toro:
Largior ipse tamen ieiunia pauca ferenti
Nectar & ambrosiam secula longa dabis.



S.

S. Demetrias Virgo.

LXXXIII.

Suspirata procis, clarisque cupita Dynastis;
Romuleas inter prima futura nurus,
Attalicas proculcat opes, connubia spernit
Splendida Demetrias, mollia quæque fugit:
Assuescit duris, sacco, paleaque recumbit,
Asperat hirsutis membra decora pilis:
Pallescit facies roseis spoliata corallis,
Pro risu lacrymis tristibus ora madent:
Omnia sordescunt præclara in virgine, tantum
Permansit decor hic, est in amore Deus:
Pulchra soli, pretiosa sali mihi congere dona;
Plus valet, & placet hoc, est in amore Deus.



S. Barbara Virgo & Martyr.

LXXXIV.

Barbara barbarico genitoris necta furore,
Cui placitus carcer turris ahena fuit;
Non velut Acrisio Danae illatura parenti
Prole necem, patris sed ferienda manu;
Non illa aurifluo falso violanda Tonanti,
Innuba sed vero sponsa futura Deo;
Quanta tulit Fideique tenax, peramansque pudoris?
Post tormenta famis, flagra, faces, gladios:
Nunc Christo sociata, preces exaudit ab alto,
Omnibus a diutrix officiosa venit:
Tu quoque si votis pia virginis ora frequentes;
Barbara tam clemens barbara nunquid erit?



S.

S. Vrſula cum ſodalibus.

LXXXV.

ERigit illæſi vexillum caſta pudoris
Vrſula, iamque ſuper millia dena præit;
Non domus, aut cari retinet reuerentia patris,
Non matris blandè pellicientis amor:
Aggrediuntur iter ſalebroſo tramite durum,
Per iuga, per dumis horrida, perque rubos,
Quin etiam nudos fulgentes cominus enſes
Aſpiciunt, diræ tela miniſtra necis;
Et reputant flores, & amœnæ munera vallis,
Et teretes gemmas, lucida dona maris:
Vnde puellares animos hic corripit ardor?
Vel forſan melius dixeris iſte furor?
Eſt furor in Venerem per mollia, duraque ferri;
Dura pati, Venerem dum fugis, vltra hominem eſt.



S.

Idem argumentum.

LXXXVI.

CLælia se iactat, Lucretia seque pudicam;
Traijcit hanc gladius, traijcit illa Tybrim:
Quid facies istis Romana potentia? signum
Marmore de Pario constituisse vales:
Vrsula cum socijs vndantes sanguine riuos,
Illatamque fero non timet ense necem:
Quid facient istis? argentea, & aurea ponent
Signa, quid hoc? reddet corpora viua Deus.

S. Petrus Martyr.

LXXXVII.

VT reus, infami conclusus carcere Petrus,
Nullius sceleris conscia corda gerens,
Ferre graues pœnas, durum' tolerare laborem
Cogitur, & lacrymis continuare dies:
Quod tantum scelus admisi iustissime Christe
Vt vitam iuuet hanc posthabuisse neci?
Dixerat, at clauis Christus confixus acutis,
Quod me crimen, ait, sic perijsse facit?
Tum Petrus, ò pœnas augete, grauate catenas;
Ibo leuis, Domino sic propiorque meo.

S.

De Virginibus.

Audiui vocem cytharædorum cytharizantium in cytharis suis: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum Apoc.

LXXXIX.

Ardua stellantis qua fulget regia Cæli,
Cantibus Angelicis personat omne latus;
Instrumenta tamen deerant arguta sonorum,
Chordasque ad numerum tangere docta manus.
Quæritur in terris qui desiccauerit artus,
Ac veluti tensas fecerit esse fides;
Additur iste choris concors cytharista supernis;
Quantum est victorem corporis esse sui!



S.

S. Thais.

XC.

Illa ego sum Thais Phariæ notissima genti,
Quam placuisse ferunt, sed nocuisse magis;
Esca iuuentuti nimium dilecta procaci,
Semper delicijs insidiosa meis:
Non placeo modò, nec noceo mutata repente,
Altera sum Thais, vix benè nota mihi:
Heu formam perijsse doles? ne forma perirct,
Tempore deformem sic iuuat esse breui.

Eadem. XCI.

Vrbe in Alexandri dudum celeberrima vixi,
Stipata innumeris, & peramata, procis:
Vnguentisque madens, auro gemmisque refulgens;
Nunc vltrò cæco carcere clausa gemo:
Exiguo si sustineas sed tempore mecum,
Tertia transierit dum mihi tristis hyems;
Fulgentem rútilo mirabere Thaida Cælo;
Abdita, tunc dices, quam benè Thais erat?

De Patribus Societatis Iesu Christum prædicantibus, nuper in Iaponia crudeliter occisis.

XCII.

DVre gelate Iapon quæ te nutriuit alumnum
Seu lupa, seu tigris, peior et angue fera?
Quos tibi præcones vitæ, auctoresque salutis
Destinat æthereo mitis ab axe Deus,
Tam diris cruciare modis, & plectere pœnis
Non dubitas, longam ducere perque necem?
Suspensis pedibus, cauea capita occulis alta;
Non cibus impastis, non datur vlla quies;
Intestina cadunt, sanguis deuoluitur ore;
Noctes atque dies mors premit, haud perimit:
Ad Styga, dire Iapon, tua te tormenta morantur;
A fouea foueam disce timere tuam.



F B.

XCIII.

BEne puer par Costcha viris, heroibus heros
Aequandus, celebret quis tua gesta satis?
A patria fugis, & claro genitore relicto,
Exsuperas pedibus grande viator iter:
Non rigor hibernus, non flumina glauca timorem
Incutiunt, non fur, non truculenta fera;
Non Alpinus apex, non arduus Apenninus
Terret, atrox scopulis, sideribusque minax;
Tantus amor Christi tibi viscera torret, & ardor,
Vt nec Hyperboreas sentiat ille niues:
Nobilis, atque tener turba cum pauper agresti,
Vix satias victu pauperiore famem:
Dura quidem sequeris, semper quoque poscis amara;
Quanta sed à Superis gaudia saepe trahis?
Barbara caelitibus comitata, o Barbara clemens!
Nectare diuino te nutrit, atque beat:
Sanguinis hinc potu, generosi & corporis esca
Fortior, exoptas vincula, flagra, cruces:
O niue candidior, puris & purior astris,
Iam conuiua Dei, virgineique chori,
In terris quid agis vita cum caelite caelebs?
I citò, virginibus, caelitibusque comes.

Ad seipsum increpatio.

XCIV.

SIccine tam fortis tantorum vitaque dura
Non durare tui pectoris ima valet?
Mollis adhuc tibi vita fluit, neque robur ab annis,
Sed nec ab innumeris fortibus illa trahit:
Quid prodest te dura loqui, te fortia cantu
Moliri, cum sis cereus vsque magis?
Vt vaga sub gelida testudine labitur vnda,
Sic tua sub tanto corda rigore fluunt.

Ad Crucem ferendam adhortatio

XCV.

MOrtales, quid adhuc? ad Cælũ mille cohort
Per crucis angustam iam praiere viam;
Mixta senum ac iuuenum calcarunt agmina callem
Sic? piget ergo sequi? nec remanere pudet?
Nec tantum remanere pudor labesque perennis;
Quis dolor ignauos, quantaque pœna manet?
Si Cælum cruce non petitur, deuoluimur Orco;
Ergo ferenda leuis crux, fugienda grauis.

Patientia gaudens.

XCVI.

GAudia quisquis aues, rapiat quæ nulla potestas,
Fortiter addiscas tristia quæque pati;
Gaudet enim tentata diu patientia duris,
Assuetusque malis desinit esse miser:
Gaudes, quod desiderijs sperata voluptas
Non angit, stimulis nec fugitiua ferit:
Gaudes, virtuti quod præmia magna parantur;
Gaudes te similem, pene Deoque parem:
Hoc etenim gaudet, semperque beatus habetur,
Quod supra Deus est, quam miser esse queat;
Sic supra mala fit patiens, patiendo libenter;
En tibi quanta parit gaudia, & ipse dolor.



Ad Sfortiam Pallauicinum Soc. Iesu, Summum Theologum, & Poetam illustrem Auctor librum suum mittit.

Macte vir ingenio, nostra munuscula Musæ
Ne sperne, ingenium quæ mediocre tulit:
Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala multa;
Olim Marcus ait, Mundus at illa probat:
Sæpe etiam quædam non sunt mediocria tantum;
Censor at, ah quoties! e medio est aliquis:
Sed me seu medius quisquam, seu iudicet imus;
De summis vni sat placuisse tibi.



Ad

Ad Aloysium Albritium, Pontificium Concionatorem S. I. De suo, ac de illius libro.

XCVIII.

ALter vt ante tuo quondam laudatus ab ore,
Hic etiam poterit forte placere liber:
Eloquij decora alta tui, noua flumina lactis
Et mellis, cupido pectoris ore bibo:
Terque quaterque mihi si lecta, electa probaui
Vsque magis, sed nos turba minuta sumus:
Pontificum sunt digna manu, sunt munere digna,
Pontificum canis fercula digna puto.

Ad Angelum Gallutium Rhetorem, & Historicum eximiũ S. I.

IC.

CAntatus liber hic humilis, tenuique Camœna
Poscit quem scribis tu grauiore stylo:
Expectatur adhuc qui Flandrica prælia narrat,
Spinula quæ gessit maximus ille ducum:
Est tibi pennatum ingenium, pennata voluntas,
Et manus, esto etiam penniger ergo liber:

QVod libro numerus deest centenarius isti,
Perfectus numeris non erat ille suis.